



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

**Estrix, Aegidius**

**Moguntiaë, 1679**

Propositio VIII. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42472**

Ex his patet Azorium docere, uti præceptum fidei & spei, sic & charitatis obligare, quando debet justificari peccator, neque fieri potest sine charitate: secundò, tempore indeterminato, ut vulgò loquuntur Theologi seu non facile determinabili à nobis. 3. quando tentationes insurgunt adversus charitatem, seu quando periculum est excidendi charitatem. Liquet ergo ipsum non esse autorem septimæ propositionis. *Tunc solum obligat (præceptum charitatis) quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possumus.*

### PROPOSITIO VIII.

**C**omedere, & bibere usque ad satietatem, non solum voluptatem non est peccatum, non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

Autorem propositionis citat Escobarium tract. 2. exam. 2. n. 102. & nescio quem Sanchezium incerto loco.

Scandalosam esse propositionem sic acceptam, ut non sit peccatum comedere & bibere usque ad satietatem quamlibet, etsi immoderatè & cum excessu, modo hic non obsit valetudini, quilibet per se videt. Non haec docuit Escobarius. Docuit, comedere & bibere usque ad eam satietatem, quæ est sejun-

da ab omni excessu & immoderatione, idque  
ob solam voluptatem, non esse peccatum.

Neque in hâc doctrinâ plus mali vidit,  
quam si diceretur, non esse peccatum audire  
pulchram musicam, aut spectare hortum  
amœnum solius voluptatis aut recreationis  
gratia percipiendæ auribus, oculisve: quæ  
nisi fallor est doctrina eorum omnium, qui  
sustinent dari posse actus indifferentes in indi-  
viduo, quos otiosum sit recensere, cum sint  
innumeri.

Cæterum immoderationem omnem in su-  
mendo cibo & potu Escobarius loco citato re-  
putavit gulam, explicans diligenter à n. 57.  
quam graviter leviterve peccetur gulâ in variis  
casibus.

Confidere ergo licet doctrinam istam Esco-  
barii minori odio dignam esse, quam eorum  
dogma, quibus hodie placet Bajanus articu-  
lus 38. a tribus Pontificibus damnatus: *omnis  
amor creature rationalis aut vitiosa est cupiditas,  
quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur,  
aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum San-  
ctum in corde diffusâ Deus amatur.*

Jesuita verò ille Sanchius, quem citat ac-  
cusator, sitne Thomas Sanchius, an Joannes  
Sanchius, an Gaspar Sanchius, an alio pro-  
nomine Sanchius, non explicat ipse: solum  
enim invenerat nomen Sanchii apud Montal-  
tium

tium epistolâ nonâ, ubi cum neque tractatus, neque disputatio, neque caput, neque alio nomine citetur locus auctoris, nos quoque ille accusator, cujus potissima eruditio sita videtur in Epistolis Montaltii, & notis Wendrockii nihilo plus habuit de auctore illo Sanchio, aut loco auctoris, quod exprimeret. Ne igitur operam perdam expectandum intelligam, quis sit ille Jesuita Sanchius, quo loco, quibus verbis teneat doctrinam propositionis, & tunc porro videro, an sit Jesuita ille Sanchius, an Minorita, an Eremita, & quid denique doceat. Magis exploratum mihi est autorem propositionis esse Joannem Sanchium, quàm Jesuitam Sanchium. Sed pergamus.

### PROPOSITIO IX.

**O**pus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. Auctor propositionis rursus citatur *Jesuita Sanchius*.

Hic iterum hærerem, ut modo, nisi accusator in suo promptuario invenisset, dedissetque nobis illius *Jesuitæ Sanchii* accuratè citatum locum *disp. 23. n. 25.* atque hinc didicissem illum, quem dicit *Jesuitam Sanchium*, esse re ipsa Joannem Sanchium Abulensem S. Theol. Doctorem, Regium Capellanum in